

apparent: enimvero ubi Praelati et subditi reprobam vitam ducunt, divinae ultionis poenam pariter subeunt.

II) Qui cum aliis rigide se habent, sibi vero omnia licere putant: hi enim [ut facile liquet] omnino damnandi. Enimvero magistrorum bene docentium, at male viventium actus perversus est.

III) Qui sibi aliisque rigidissime extant, qui timorem Dei habentes, sed non secundum scientiam, duriora praecepta, quae humana conditio sustinere non potest, statuunt. *Timor in eo est quia videntur sibi consulere disciplinae, virtuti opus ingerere; sed insidia in eo est quia non compatiuntur naturae, nec aestimant possibilitatem*¹. Ea sit itaque Pastoris caritas qui, *infirmis subditorum miserando et consulendo, plana iubeat*²; qui *vehementer emungit elicit sanguinem*³. Nec Pastori illum virtutis gradum quem ipse praebere potest a christifidelibus exigere fas est: alia, enim, exercitus dux, miles alia praestare debent. Idcirco christianam observantiam Pastor urgeat semper; at ne, potiusquam flectere, frangat, heic quoque fortiter in re, at suaviter in modo se habendo, nimietatem devitet.

IV) Ex iis qui alios indulgenter, se vero rigide tractant Pastor sit, ut *summi Viri Sanctae Ecclesiae...*, qui quos in eodem culmine ponunt, docent sibi esse rigidos, sed subditis temperatos⁴.

16. — *Principem magis exemplo quam culpa peccare*⁵ animadvertit Plato, et *integritas Praesidentium salus est subditorum*⁶ Concilii Tridentini Patres, iure meritoque, monuere. *Langvente, enim, capite incasum membra vigent, et in hostium exploratione frustra exercitus velociter sequitur si ab ipso duce itineris erretur*⁷. *In primis, igitur, o Venerabilis Pastor, fac ipse quod praecipis, exerce quod praedicas, imple quod mandas: non vita discordet a lingua, non opera videantur a sermone discreta, nec aliud doceat auctoritas praesidentis, aliud vero exhibeat operatio conversantis*⁸.

¹ S. Ambrosius, in *Psalm*, 118.

² S. Gregorius Magnus, in *I Reg.*, Lib. IV, cap. 4.

³ *Prov.* XXX, 33.

⁴ S. Ioann. Chrysostom. *De Sacerdotio*. Lib. III, cap. 11.

⁵ S. Gregorius Magnus, in *I Reg.* Lib. IV, cap. 4.

⁶ *Sysig.* 9. 4.

⁷ Sess. XXII, c. *De reformatione*.

⁸ S. Gregorius Magnus, *Reg. Pastoral.* Parte II, cap. 7.

Articulus III.

DE BONI PASTORIS PATIENTIA.

§ I. — De hac virtute generatim spectata.

SUMMAE RERUM. — 17. Animadversiones praeviae. — 18. In regimine patientiae causae quae sint. — 19. Huius virtutis in Pastore ecclesiastico necessitas. — 20. Eius utilitates. — 21. Quae in tribulatione solamina Pastori esse possint.

17. — Quamvis omnes in hoc terrestri exilio peregrinantes a Domino, ut huius vitae cursum feliciter feliciterque compleant et coelestem Sanctae Patriae beatitudinem assequantur patientia egeant, his attamen qui coeteris praesunt, ut saeculi aerumnas et sui regiminis difficultates apte sustinere feliciterque superari valeant, multo profecto magis necessaria est. Enimvero quo conditio minusque altior, contumaciae, invidiae, detractionum telis fortius impetitur. *Omnes, enim, circumstant parati ut vulnerent ac deiciant, non modo ex inimicis multis, sed etiam* [Pastor meminerit], *ex his qui amicitiam simulant*¹; quo fit ut si aliquando *potentes adversarii potenter eos deprimant*, interdum et *falsi fratres eos sapienter feriant*². Idcirco Pastor qui paroeciae navem regendam suscepit, quanto procul a littore discedit, tanto amplius, cum illi quibus nulla navis cura commissa est quiescunt, ut vigilet necesse est, ea quippe vigilantia quae maximum patientiae exercitium requirit. Tanto maius, enim, tribulationis pondus ipse sentiet, quanto minora auxilia ab omnibus sibi expectare licet: ab omnibus diximus, quia, interdum, a quibus plus confiditur, minus habetur.

18. — Patientiae exercitationis, seu discriminis causae tum generales, tum peculiare habentur.

A) Generales ad unam redeunt quam Sapiens ac Psalmista indigitat, dum alter clamat: *Detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem*³, ac primus monet: *Ambulans recto itinere et timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via*⁴, qui suae malae vitae tacitam reprobationem in bonis iustorum operibus conspiciat. Insuper [uti iam diximus] cum in alto Pastor sedeat, et altius caeterorum passionum

¹ S. Gregorius Magnus, in *I Reg.* Lib. V, cap. 1.

² S. Petrus Damiani, *De Perfect. Monach.* Cap. XV.

³ *Psalm.* XXXVII, 61.

⁴ *Prov.* XIV, 2.

iaculis impetatur necesse est; saepius, enim, *feriuntur summos fulmina montes*¹, sicut Venosinus cecinit.

B) Peculiares causae quae heic recoili possunt sunt quae sequuntur:

a) Iudicii ac voluntatis diversitas, qua ad eandem adipiscendam metam, varias per semitas inceditur; quot, enim, *capita tot sententiae*, ac omni in vulgo [quod habetur ubique] querulum ac malignum quiddam erga Imperantes inest. Nisi, igitur, abnegationis obedientiaeque virtutes multo accedant, quidam [quod sane peius est] obsequium se Deo praestare putantes, at humanis rationibus spiritualia subiicientes [quo nil infestius], apocripha ascetica diiudicando [quo sane nil pervicacius], innumera tribulationis argumenta Pastori comparare conantur. — Insuper quidam adeo mutantur sic ut aura, ut qui hodie tecum sunt, cras contrarios habeas. Multi, enim, in prosperis amici qui te lactant ac, ut lucrentur, te fere adorant; in adversis vero vix unus tibi adhaerebit. Qui *amici mensae cum sint, non permanent in die tribulationis*², ac utilitatibus tantum prosequuti suis, soli quem heri adorabant terga vertunt hodie, quem heri colebant, cras spernunt contemnuntque. Humanae quotidianaeque vitae vera historia haec est, cui qui fidem haud praestant, innumeris disillusionibus subiiciuntur!

b) Animarum cura ipsaque officia, quae multam vigilantiam emendationemque exostulant, in re plurimum influunt. *Si, enim, iniuste agentibus aut unquam per silentium [Pastoris] cederet, aut per rectitudinem non contraireret, profecto adversarios non haberet; sed in eo quod viam vitae tenet, exploratores suae mortis invenit*³. Sicut, enim, Tabernaculi tectum, ut interiora pulchra nitidaque remaneant, pulveres et imbres ventorumque in se impetus recipit, ita Pastores qui fideliter a peccati turbine christifideles defendere nituntur, ut diversarum adversitatum ictus in se recipiant necesse est. *Praelatus, enim, linguis innumeris praepositus est ad lacerandum. Alius detrahit, alius compositionem in ius trahit, magnaue illi patientia et constantia ad ista toleranda opus est*⁴; quo fit ut, oratione ac mortificatione, ad diuturnum ac fere continuum patientiae certamen Pastor se praeparare debeat. Illusionibus locum haud ipse cedat, et dum, prima fronte, per laetas semitas sibi incedere videatur, e contrario, per aspera Calvariae itinera statim incessurum

¹ Odar., od. 6.

² Eccles. VI, 8.

³ S. Gregorius Magnus, *Moral.* lib. XIII, cap. 4.

⁴ S. Ioann. Chrysostom, epistol. 3 ad Olympiadem.

esse pro certo ipse habeat. Hominis, ac praesertim ecclesiastici Pastoris vita super terram reapse militia est!

9. — Patientiae in Pastore necessitas facile evincitur, quum qui hac caruerit virtute exanime tamquam corpus, navis sine ductore [omnibus ventorum sollicitudinibus obnoxia], mare cunctis naufragiis patente habendus sit. Apte idcirco Apostolus Corinthios monet: *in omnibus exhibeamus nosmetipsos in multa patientia*¹; Thessalonicensibus idem Doctor Gentium suadet: *patientes estote ad omnes*², ac tandem Hebraeis recolat: *Patientia vobis necessaria est*³, qua tantum ad victoriae bravium feliciter pervenire possumus; nam *qui patiens est multa gubernabitur prudentia: qui impatiens est exaltat stultitiam suam*⁴, et *sustinebit damnum*⁵. Enimvero Pastoribus patientia carentibus nec sociale, nec ecclesiasticum regimen penitus possibile evadit. Non sociale regimen, quia vir huiusmodi, eo ipso quia impatiens, socialem vitam deserit: nec ecclesiasticum, quia cum adversitatem suscipere non valeat, dum malum exemplum subditis praebet, adeo potestate abutitur ut, potiusquam dulciter flectat, frangat, et sic omnibus odiosus et perniciosus Pastor impatiens evadat. *Amica, enim, potestati pene semper impatientia est, eique etiam malae subiectae imperat, quia quod ipsa sentit potestas exequitur*⁶. At desine concupiscere et desines indignari.

20. — At patientiae utilitates Pastori recolendae sunt quae his redeunt:

I) Christifidelium existimationem sibi aucupat; nam nulla res aequae splendoris et admirandos homines reddit, tantoque bonorum acervo cumulat ut tentationum frequentia, pericula, labores, moerores et perpetuae insidiae, dum tamen omnia aequo ferantur animo.

II) Fortissimus efficitur, Scriptura dicente: *Melius est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*⁷. *Minor victoria urbes expugnare [D. commentat Gregorius] quia extra sunt quae vincitur: maius autem est quod per patientiam vincitur, quia ipse a se animus superatur, et semetipsum sibimetipsi subiicit quando cum patientia in humilitate tolerantiae sternit*⁸. Enimvero *iustum et tenacem propositi virum, non civium ardor prava iubentium, non vultus instantis tyranni mente quatit solida*⁹; non desit mens recta conscia sibi, non animus coelo. Deoque infixus, sed, per iustitiae veritatisque

¹ II, VI, 6.

² I, V, 14.

³ X, 36.

⁴ Prov. XIV, 29.

⁵ Ibid. XVIII, 19.

⁶ S. Gregorius Magnus, *Regul. Pastoral.* Lib. III, cap. 9.

⁷ Prov. XVI, 32.

⁸ *Homiliar. in Evangel.* lib. II, hom. 35.

⁹ Horat. *Od.*

semitas constanter incedendo, dum cor ad Superna erigit, invidentium detrahentiumque linguas despicit conficitque.

III) Quae difficilia sunt, facilia efficit, nam dum *levius fit patientia quidquid corrigere est nefas*¹, e contrario, qui impatientia feruntur, quidquid vel levissimum, aestuanti animo, gravissimum reddunt, quo ad omne capessendum bonum, ad omnem vincendum obicem impotes fiunt.

IV) Intentione recta Pastor agit; nam, plerumque, dum prosperitate pollemus, nobismetipsis existimamus bona quae habemus, et ipso infirmitatis nostrae pondere deorsum quotidie ducimur, nisi, mira manu Creatoris, per subvenientia flagella relevemur. Enimvero humana mens adeo levis est ut si nimia felicitate gaudeat, facillime superbia intumescat et corrumpetur; quo obliviscitur pro Deo agere suae saepe munera perturbat. Quare prospera magis quam adversa, omnino sapienter, Viri Sancti metuebant; illa, enim, deiiciunt, haec vero aedo erudiunt, ut, dum afflictione angimur, in perituris rebus quibus inaniter occupamur haud consistamus, quo non humano, sed coelesti studio agere instituimus. Enimvero istis spinis et turbinibus retrahitur animus a delectationibus terrenis, et ad coelestem amorem cor exercitatur, quo *cum aeternae Patriae quanta sit dulcedo consideramus, pro ea praesentis vitae amaritudines ardentem amamus*², et ex aeternitate illius, huius brevitatem dispicimus transitoriam, ac, huius saeculi ac regiminis poenas fortius perferendo, pro Deo tantum adlaborare satagimus.

V) In se vigilantiam tribulatio excitat, quae, profecto, consequens ex praedictis est, quum per prosperitatem e prudentiae ac Domini via regrediatur, per tribulationem, e contrario, in ipsis proficiatur; Secunda enim, inter vitia retinere virtutem adeo perarduum est ut aut-amicum animadversorem, aut hostem incitorem omnibus necessarium esse quidam sapienter dixit. Nam aliena censura proprios componit mores, et quos lex ipsa in officio continere aut emendare nequit, saepe coercet obtrectationis metus, qui stimulus est virtutis et frenum ne a recto tramite ea deviet. Sic, *mira dispensatione pietatis, fit ut unde malignus hostis contendat ut interimat, inde misericors Conditor hoc erudiat ut vivat*³ Saepe quod torpentibus latuit, flentibus innotescit.

VI) Humilitatem tribulatio fovet, quum saepe fiducia longae prosperitatis inflati, in quodam elationis statu erigimur: saepe humanus

¹ Horat. *Od.* IV.

³ *Id.* *Ibid.* lib. XIX, cap. 20.

² S. Gregorius Magnus, *Moral.* lib. VII, cap. 14.

animus, quamvis brevi tempore sine tentatione in bonis studiis fuerit, mox de iisdem studiis in quibus quiescendo se exercet, de ipsis virtutibus quibus multiplicari nititur, dum proficere se sentit, elevatur. Quod et Davidi accidit qui, secundum cor Dei electus, quando premebatur adversis devotissimus humilisque fuit: quando, e contra, extollebatur prosperis, in culpam incidit; ipso testante cum dicit: *Bonum mihi Domine quia humiliasti me ut discam iustificationes tuas*¹: quod et Saulus in se expertus est, qui, tribulatione mediante, in Paulum immutatur. Adeo, enim, potestati superbia copulatur ut nisi iugum adversitas collum praesumptoris humiliaret, Pastor a superbiae voragine haud defensaret. Unde, divino moderamine, impulsu tentationis afficimur ut in eo ipso profectus nostri elatio comprimatur; ut *cum tentati sumus, cum misericordia disciplinam accipientes*², *commemoremus Dominum, admirantes in finem exitus*³.

VII) Subditorum offensarum remissio patientia comparatur. Grave, enim, pondus saepe subditi sunt, quos inter nonnulli ingenio asperrimi de facile inveniuntur. Hi plane [ut Semei in David regem] vel quia corripere sese audiverint, vel quia licentiae suae apposita obstacula fuerint, vel quia inquieto ingenio agitentur ac ingratitude ferantur aliaque huiusmodi [quae totidem patientiae exercendae occasiones optimae fiunt] ut Israelitica ingrata gens contra Moysem, Pastorem versus insurgunt, ac, sive palam, sive [quod sane peius est] clam, obtrectationibus exsurgunt. At patientia, ingratis filiis Pastor ignoscit, quae et ad eripiendam animam de manibus inimicorum eius utilis est. Cum *perversi difficile corrigantur*⁴, eorum conversio multa patientia eget.

21. — Argumenta solaminis in tribulationibus Pastori recollere, haud inutile erit. Idcirco:

a) Omnes homines esse Pastor meminerit. Enimvero *in omni gradu et ordine optimis permixta sunt pessima*⁵, *in omni proposito boni et mali reperiuntur*⁶. Aetas, enim, institutio, vitae christianae professio, homines in angelos nunquam commutare possunt: quae omnia eorum passiones mitigare quidem, haud tamen radicitus evellere valent. Illusionibus, igitur, nullo modo serviendum, sed [genuinam humanitatis conditionem spectando] homines uti reapse sunt, non uti desiderantur habeantur.

¹ Psalm. CXVIII, 31.

² *Sap.* XI, 10.

³ *Ibid.* XI, 14.

⁴ *Prov.* I, 15.

⁵ S. Bernardus, *De Ordine Vitae* cap. 12.

⁶ S. Gregorius Magnus, *Eptistolar.* Lib. IX, indict. IV, epist. 45, *ad Theocist.*

b) Contradictiones pars et haereditas omnium sunt. Non est aliqua tam sancta societas, nec tam secretus invenitur locus ubi adversitates tribulationesque desint. Antiquus, enim, Hostis terrarum locis a tentatione non excluditur, et si in ipso terrestri Paradiso Protoparentes stravit, quis extra ipsum esse potest locus in quo penetrare non valeat? Primaevae culpa causa, intestinum bellum ortum est inter carnem et spiritum, carne concupiscente contra spiritum, et spiritu repugnante per rationem contra sensualitatem. Nunquam, nullibique, igitur, tuta pax, nunquam tuta quies, ubique bella, ubique hostes omnibus sunt, ac uti granum sub paleis premitur, flores inter spinas prodeunt, et rosa quae redolet crescit cum spina quae pungit, adeo huius vitae tribulatio mortalibus comes est, ut *beatior qui minus urgetur malis*¹ censendus sit. Vitae curriculum [diximus iam, at nunquam satis dictum] crucis via revera est, qua Gethsemani proditoris, Praetorium periurii, vigiliam ignominiae, Calvarii supremam contumeliam [ingrata plaudente caterva] fere omnes patiuntur. Quod praesertim his qui virtutis veritatisque vias sectare nituntur, et per eas coeteros regunt, evenire consuevit, ut ex veteribus historiis et ex his quae quotidie geruntur comprobatur. Haec quanta Sancti Pastores omnes per multas tribulationes et tentationes passi sint nos docent, qui tanquam aurum in fornace et quasi holocausti hostiam accepti, sacrificium acceptabile fuere Deo. Inspice itaque Sanctorum vitam ut cum Sanctis sanctus fias, ac ex hoc terrestri tribulationum pelago, ad coeleste Sanctae Civitatis portum pervenire possis, ubi fulgebis, et aeterna quies, aeterna Filii Dei pax, aeterno perfrueris. Sursum, igitur, corda; nam *quia acceptus eras Deo necesse fuit ut tentatio probaret te*²; *qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur*³ Apostolus nos docet, *et si compatimur et conglorificabimur*⁴.

c) Neque omnibus satisfacere se posse Pastor putet; nam *credis evadere quod nullus mortalium potuit praeterire? Quis sanctorum in mundo sine cruce et tribulatione fuit? Et quomodo tu aliam viam quaeris quae est via Sanctae Crucis?*⁵ Quod, enim, Deus, Servator Noster, Sanctique omnes haud assequuti sunt, quomodo tibi polliceris? Deus angelos creavit, atque eorum multitudinem perduellem vidit; homini legem dixit, quam ille transgressus est; Filium suum Unigenitum misit, atque eum homines necarunt. Nullum regimen divino perfectius,

¹ Horat. Od. III.² Ad Hebraeos, I, 2.³ Ad Roman. VIII, 17.⁴ Matth. XV, 14.⁵ De Imitat. Christi, Lib. III, cap. 4.

nullum vero maioribus querelis causam praebet. — Servator Noster signum cui contradicetur factus est, Iudaeis scandalum, Gentibus stultitiam, ac quidquid in vita agebat, peccato ab inimicis ei imputabatur. Bonos, igitur, contemplare, coeteros vero *qui comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt*¹ despice. *Oculi, itaque, tui recta videant*², et *Deus rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet*³. Si perversorum, enim, sententiis accesseris, quum per impiorum semitas incedere cogaris, apud Deum ac Ecclesiam infandi periurii reum te constitues. *Fili mi si te lactaverint peccatores ne acquiescas*⁴; *fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum*⁵; *sinite abire, caeci sunt et duces coecorum*⁶.

§ II. — Qua ratione in tribulationibus Pastor se haberi debeat.

SUMMAE RERUM. — 22. Quomodo in tribulationibus omnibus. — 23. Cum diversis personis quomodo. — 24. Conclusio.

22. — Quomodo vero, generali ratione, in tribulationibus animarum Pastor sese gerere debeat indigemus paucis. Itaque:

a) Consideratione ac actione, praevenienda praevideat ac provideat, quum contra omnia adversa antea meditari, nec inveniri casus quem non consilia eius anteveniant Sapientis sit. *Praelatus* [D. suadet Bernardus] *solicite studeat, humili prudentia, non vinci a malo, sed vincere in bono malum*⁷. Idcirco [ad rem nostram quod attinet], alienis in negotiis, in quibus nil ad eum pertinet, ne se immisceat Pastor, unde sibi magna detrimenta comparabit. Saecularia, igitur, negotia ac factionum politicarum studia [ut diximus] sedulo Pastor devitet, ne eos deinde dolores, quibus ipse primam causam praebuerit, experiatur, docente Scriptura: *in supervacuis rebus noli scrutare multipliciter*⁸, et alibi: *de ea re quae te non molestat ne ceteris*⁹. Quomodo, enim, potest ille diu in pace manere qui alienis curis se intermiscet? — Nec suo in regimine nimia, nec cito nimis agere Pastor audeat, quo dum prima prudentiae principia offendit, innumeras tribulationum segetes, fere inutiliter, sibi comparabit. Festina, igitur, lente; nam si revera festinare intendis, lente incedere cogaris. *Qui altam facit domum suam, quaerit ruinam*¹⁰. —

¹ Prov. IV, 17.² Psalm. XVI, 2.³ Prov. IV, 27.⁴ Id. I, 10.⁵ Id. ibid. 15.⁶ Matth. XV, 14.⁷ Epistola, XXXII, ad Abb. S. Nichasi Rhemens.⁸ Eccles. III, 24.⁹ Id. XI, 9.¹⁰ Prov. XVII, 16.

Nimis frequenter fortiterque christifidelibus contraire Pastor devitet: nam ut Deus sit inter nos, necesse est ut quandoque relinquamus nostrum sentire propter bonum pacis. Quicumque, igitur, non concordant cum spiritu tuo, illis cede propter pacem tuam et ipsorum. — Insuper nec in amando et credendo, nec in suspicando et agendo praeceptus Pastor sit; ex tempore ab agendis recedat, quae agenda obeundaque sint, sedulo et in tempore, prospiciat. Uno verbo, semper et cum omnibus adeo prudenter Pastor se gerat, ut neque coram-Deo, neque probis coram hominibus imprudentiae notam ipse incurrat. De coetero honesta ac laudabili calliditate Pastor utatur, et [iterum iterumque admonemus] mellifluo cum Doctore, ipse repetat: *Bernarde, audiant mansueti et latentur et sufficit nobis*¹, *habeas conscientiam bonam et Deus bene te defendabit*²; fac quod in te est, et Deus aderit bonae voluntati tuae.

b) Se discutiatur Pastor, ac coram Deo in suae conscientiae sacrario positus, quid revera falsi, veri seu verosimili in diceriis habeatur, sedulo inquirat discutiaturque. Saepe, enim, quod nobis latet, coeteris innotescit, et quod simpliciter et inconsiderate egimus, malignandi occasionem coeteris praebet. — Si quid vero emendatione dignum agnoscimus, confiteamur ac sedulo corrigamus; nam cuiusvis hominis errare, nullius autem nisi insipientis in errore perseverare est. Si nil vero invenimus [gratias Deo agentes, cuius auxilii est si stemus] detrahentes semper amando, detractiones autem despiciamus. Etsi, enim omnes, nos accusent, si conscientia nos liberat, cur angimur? Qui secus agit, inexhaustum tribulationum fontem sibi subditisque, omnino stulte, aperit.

c) Ad Deum Pastor confugiat, qui cum Pater sit suavis, providentia et misericordia sua, et Pastoris vias respicit, et omnes gressus eius considerans, facit in aspero mari viam, et inter tribulationis fluctus semitam firmissimam. Postquam quae prudentiae iubet peracta sunt, ut quae humanis consiliis haud pertingere licuit, supernis assequatur, ad divinum auxilium recurrendum est, ut et D. suadet Augustinus monendo: *In omni tribulatione ad Deum confugiendum*³. Spera, igitur, in Domino semper, quantumcumque fueris tribulatus et desolatus vehementer, quum ille tantum qui non in se, sed in Deo spem suam figit, bene ac firmiter stare possit. Nosse, enim, Deum qui *custodit Rectorum salutem, et protegit gradientes simpliciter*⁴, et in Illo fidere, radix est sanctae pacis ac immortalitatis. Confortare, igitur, ac esto robustus; Deus qui dat nivem sicut lanam, et lanam sicut nivem praebere solet, cum

¹ Epist. cit.² De Imitat. Christ. Lib. II, Cap. 2.³ In Psalm. XLX, 1.⁴ Prov. II, 7.

probatus fueris, donabit coronam vitae quam Ipse repromisit diligentibus se. *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione illum conservabit*⁵, *faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere*⁶. — Huius vitae tribulationes omnes aquis praetereuntibus comparantur; si quid, igitur, in hac vita tentationis acciderit, non stat, sed celeriter transit. Etsi vero permaneat [iterum iterumque recolimus], tristem praeterire ac orantem spernere Deus non solet, sed ad Illum cum gemitu clamantem clementer exaudit: probat certantem, illuminat ignorantem, ac coronat triumphantem. *Serva, igitur, semitas iustitiae et vias Sanctorum custodi*⁷, quo adeo *Deus erit in latere tuo et custodiet pedem tuum ne capiaris*⁸, ut ad *Dominum cum tribularer clamavi et exaudivit me*⁹, cum Psalmista canere valeas. Macte, itaque, animo, o Pastor, qui [Moysen imitatus] tribulationibus gravatus ac fere obrutus ad S. Tabernaculum confugere debes, ibique paterni cordis tui secretas aerumnas Aeterno Pastori aperiendo, plagasque a dilectis forsitan filiis tibi inlatas Ipsi [monstrando, consolationis sanctum oleum, suavissimae medelae balsamum ab Illo, qui dat omnibus affluenter et non improperat]¹⁰, misericorditer accipies. Si enim, humana verba aliorum aures tantum percellunt, divina Superni Samaritani eloquia et eorum mentes commovent, ac dum pacem [magnum Dei donum] nobis restituunt, et filiorum Heli, vel redivivi Pharaonis corda indurata nimis, ad reddendam iustitiam, vel saltem ad misericordiam suadent. Pone, igitur, in Deum omnem fiduciam tuam, qui cum *non desit plorantibus in consolatione*¹¹, a tribulatione *eruit servos suos qui crediderunt in eum*¹², ac *humiles expectantes consolationes Domini*¹³. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*¹⁴; omnia transeunt, Deus solus manet, et *maledictus qui confidit in homine*¹⁵.

d) Ad homines quoque electos Pastor confugiat, ut solamen, consilium, adiumentum, remediumque sibi comparet, dicente Scriptura: *inclina aurem tuam et audi verba Sapientium*¹⁶, et alibi: *boni amici consiliis anima dulcoratur*¹⁷. Omnes, enim, per huius vitae asperas semitas incedentes, solamine indigent: ad plura extricanda consilium perutile evadit, et interdum versutorum inimicorumque superbia

⁵ Eccles. XXXIII, 1.⁶ I Corinth. X, I, 3.⁷ Prov. VIII, 20.⁸ Id. III, 26.⁹ Psalm. CXIX, 1.¹⁰ Iacob. I, 5.¹¹ Eccles. VII, 38.¹² Daniel. III, 95.¹³ Iudit. VIII, 20.¹⁴ Hebr. XIII, 4.¹⁵ Ierem. XVII, 5.¹⁶ Prov. XXII, 17.¹⁷ Id. XXVII, 9.

tanta est ut si quis benevolo nimis animo utatur, potiusquam eos emendare, ad maiora incitare videatur. Malorum, igitur, conventicula nudentur, ac eorum calumniae Ordinario, audito, etiam judicialiter refellentur, ne infernalibus insidiis vinea Domini depraedata, bonum Ecclesiae sacerdotumque nomen plectantur.

e) Tranquillo se animo habeat; nam ubi est patientia, ibi fortitudo ac laetitia est, et *patientiae comes est sapientia non famula concupiscentiae*¹; aequam, igitur, memento rebus in arduis servare mentem². Ad hoc efficiendum oportet ut omnis nostra apprehensio, imaginatio, ac appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant, neque superent, sed sequantur, ex quo pacto perturbatione carebimus et moderatio elucebit. Secus, enim, non dispositi in iudicio, sed praecipitati in perturbatione, potiusquam flectere frangimur, ac nos coeterosque nobis commissos in errorem pertrahimus.

f) Dissimulet Pastor, quod non tantum supernae sanctitatis, sed humanae prudentiae est. Enimvero *Sancti Viri in commotionis tentamine positi, semetipsos ostendere omnino refugiunt, et cum audientibus prodesse nequeunt, etiam despici tacentes volunt*³. Suas insuper aerumnas coeteris abdere [ne in digitum quem infirmum putant, invidi passim feriant] primae prudentiae praeceptum est, Pastoribus praesertim recolendum, ne eorum auctoritas despiciatur. *Causam itaque tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles, ne forte insultet tibi cum audierit*⁴. Quod et Ethnici quoque suasere qui cum Philosopho monent: *Iniurias dissimulare oportet ne cum dolores facile commemoratione liniveris, ab illis maiores accipias*⁵; nam *ut beneficia recensendo beneficia provocas, ita iniuriae querimoniis aliis viam aperis*⁶. *Qui custodit os suum et linguam, custodit ab angustiis animam suam*⁷. Et verbis itaque, conversatione ac habitu nil nisi constantiam Pastor ostendat. Igitur:

I) Verbis; nam tanta mortalium imbecillitas est ut quae amicis tantum committenda sunt, obviis narret, et in quasilibet aures quidquid illum urit exsoneret⁸. At *Sancti Viri, freno consilii, praecipitationem verbi retinent, et caute considerant ne relaxantes linguae lasciviam, incauta locutione, auditorum conscientiam transfigant*⁹. Quae quam ma-

¹ S. Ambrosius, *De Officiis*, Lib. I, cap. 38.

² Horat. *Odar.* Lib. II, od. 4.

³ S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. V, cap. 13.

⁴ *Prov.* XXV, 9-10.

⁵ *Ethic.* IV.

⁶ Seneca, *De tranquill. anim.*, L. II.

⁷ *Prov.* XIII, 3.

⁸ Seneca, *Epist.* 3.

⁹ S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. XXII, cap. 17.

xime suadenda sunt; nam [ut mox diximus] afflictiones nostrae haud omnibus indiscriminatum pandendae sunt, quia [inconstantia vel negligentia] amicos saepe produnt, et *pravi* [qui inveniuntur ubique] *cum laborare bonos in adversitate conspiciunt, in eo quod illos consolare appetunt, mala eis persuadere conantur...*; *inter verba dulcedinis, virus propinare cupiunt erroris, et dum dictis lenibus dolores quasi levigant, peccati onus imponere festinant*¹. At Sapientis consilia memineris: *labiis suis intelligitur inimicus cum in corde tractaverit dolos*²; *quando submiserit vocem suam ne credideris ei*³. Nil mirum, igitur, si et aliud Sapientia moneat: *domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuae*⁴. Praesertim itaque cum cor tribulatione aestuat silendum est, quo vitantur amentis vestigia qui *totus foras spiritus profert, quia nulla interius disciplinae scientia circumcludit*⁵. Sapientis potius servanda monita sunt: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*⁶; *verbis tuis facito stateram, frenos ori tuo*⁷; *ne scandalizeris in labiis tuis, attende in illis, ne forte cadas et adducas animae tuae inhonorationem*⁸. At [memineris] *silere in tempore malo, introrsus ad Deum converti, nec humano iudicio perturbari, non parva [et ideo rara] prudentia est*⁹, quae tamen Pastoribus omnibus quam maxime suadenda semper.

II. Conversatione ac habitu silendum est, dicente Scriptura: *In tempore infirmitatis, ostende conversationem tuam*¹⁰. At, etsi multi silent lingua, tristi tamen vultu, quae animo abdunt, loquuntur passim. Verumtamen *electi Viri, etiam cum temporali gloria privantur, interni vigorem iudicii non amittunt*¹¹, ac externam vultus dignitatem unquam dimittunt, qua, dum prudentiae virtutem exercent, tentatorum insidias depellunt.

d) Neque animum dimittat Pastor, nec de animarum cura deserenda cogitet; nam hoc onus *animarum est infirmarum, et quae sanae sunt portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt*¹². *Quoscumque, igitur, de tuis inveneris...murmuriosos, ipsorum te Patrem, ipsorum te noveris Abbatem; age opus tuum, porta onus tuum, et portando sanas quos sanando portas*¹³. Ne dicas autem: *Vires non suppetunt. Qui inspector est cordis ipse intelligit, et Servatorem animae tuae nihil*

¹ *Id.* *Ibid.* Lib. VII, cap. 2.

² *Prov.* XXVI, 24.

³ *Id.* *Ibid.* 25.

⁴ *Id.* XXVIII, 10.

⁵ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.* Par. III, cap. 4.

⁶ *Prov.* XXVI, 4.

⁷ *Eccles.* XXVIII, 29.

⁸ *Eccles.* I, 37.

⁹ *De Imitat. Christi.* Lib. II, cap. 4.

¹⁰ *Eccles.* XVIII, 21.

¹¹ S. Gregorius Magnus, *Moral.* lib. XIII, cap. 2.

¹² S. Bernard. *Epist.* 75.

¹³ *Id.* *Epist.* 136.